

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Jakob Carmon

**Rectoris Universitatis Rostochiensis, Jacobi Carmon, Ph. & U.J.D. ... Programma  
In Festo S. Michaëlis, De Sanctorum Angelorum Ordinibus disserens, Et Cives  
Academicos ... adhortans**

Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1731?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004016441>

Druck    Freier  Zugang





T. 512.

1731. Michael.

~~M-1256.~~ 214.

Mai 1731

RECTORIS UNIVERSITATIS  
ROSTOCHIENSIS,  
**JACOBI CARMON,**  
Ph. & U. J. D. Pand. Prof. Ducal. Publ. O.  
Fctis Jurid. h. Decani & Senioris  
Consistorii Ducal. Mecklenburg. Consiliaris

PROGRAMMA  
IN  
**FESTO S. MICHAELIS,**  
DE  
**SANCTORUM ANGELORUM**  
**ORDINIBUS**  
*differens,*  
Et  
**CIVES ACADEMICOS O. O. O.**

ad  
sanctimoniae studium angelica custodiâ dignum,  
qua par est officii ratione,  
studiosè sedulòque  
adhortans.

---

ROSTOCHII,  
Typis IO. IACOB. ADLERİ, SEREN. PRINC. & ACAD.  
Typographi.

M. 1256 214







## ngelorum sanctorum,

quorum hodie, non eorum tamen ipsorum, sed Creatoris illorum Dominique in gloriam & honorem, Festum celebramus, naturam atque conditiones accurate satis expnere, qui sibi sumserit, opus se viribus suis superius aggressum esse, vel ab initio statim suscepti operis experietur. Fatendum est, haud penitus eorum vel naturæ vel officii nos ignaros vivere, sapientiam divinam voluisse, quin potius cum de illâ, tum de hoc quantum novisse nobis sufficere potest ac debet, passim in Scripturâ nos instruxerit, ut ex iis quoque Majestatem DEI, bonitatem atque potentiam infinitam agnoscere pariter ac nostram adversus ipsum debitum intelligere queamus. Atque in his à DEO revelatis fidem nostram acquiescere, totamque de Angelis doctrinam revelatam in usum nostrum & praxin pietatis convertere decebat : Verùm, quæ infrunita est quorundam hominum, etiam in rebus naturaliter inevidentibus ac rationis lumen transcendentibus, curiositas, in istis divinitus revelatis eorum ingenia subsistere noluerunt, sed pro imagina- ria suâ sapientiâ de coelestibus hisce spiritibus complures alios

A 2

extra

extra Scripturam, non nisi ad Somnia Vigilantium Sapientum  
 (de quibus haud inelegans extat, in Academiâ Salanâ Anno  
 MDCXCII. Publico data Dissertatio JO.PHIL.TREUNERI,) jure  
 merito referendos, sibi formavere conceptus. Illud in primis  
 indigit hominum genus, quos Scholasticorum vulgo appellare  
 nomine consuevimus, quos etiam Angelicorum, Cheru-  
 bicorum, Seraphicorum, Illuminatissimorum, Irrefragabili-  
 um, Profundissimorum, Subtilissimorum Doctorum, & tan-  
 tum non innumeris aliis hujusmodi superbientibus titulis ho-  
 noratos compellant, & quibus, vel ab Antesignanis suis, Sco-  
 tistarum, Thomistarum, Occamistarum, Albertistarum; vel  
 à methodo ac docendi modo, Summulistarum, Sententiona-  
 riorum, Quæstionariorum, Quodlibetariorum, aliaque bar-  
 bara & vel ipso sono horrifera cognomina adhæserunt. Hi  
 namque claustris suis inclusi, & ignavo abundantes otio, hoc  
 sibi datum rati fuere, ut in otiosis occupationibus ingenia  
 sua exercent, varias, non inutiles modò, sed & vanas, futil-  
 es ac illepidas quæstiunculas moverent, quæ diversas pare-  
 rent opiniones, in utramque partem disceptandas, dummodò  
 mentis in iisdem acumen ostentare possent, atque subtilita-  
 tis, ut opinabantur, abinde reportarent laudem. Ita donis  
 ingenii divinitus concessis abusi, non Philosophiam solum  
 corrumpere satis sibi gloriæ duxerunt, sed simili audaciâ in  
 ipsam involarunt sacrosanctam Theologiam, temerèque, ac vel  
 hodienum dolendum in modum, in eâdem grassati sunt, subtili-  
 bus suis, omni licet utilitate parentibus, speculationibus atque  
 spinosis disputationibus vacantes, quod in sacro hoc Studio  
 præcipuum esse debet, fidem & ædificationem, parum curan-  
 tes, imò posthabentes & vel penitus negligentes. Quod  
 sicuti per universum Theologiæ sistema nullo negotio de-  
 monstrari posset; ita præ ceteris Articulus de sanctis Angelis  
 inanem hanc eorum expertus industriam est, ab eadem per-  
 magno superfluorum, nec ex Scripturâ, multò minus ex lu-  
 mine rationis, unquam definiendorum, quæ Paulus 2. Tim.  
 1, 23, πνεύμα τοῦ άπωλεύτος ζητήσεις, stultas & ineruditas quæsti-  
 ones,

ones , quæ pugnas generent , vocat , problematum cumulo , non tam refertus , quam onustus ac deformatus . Non sedet animo prolixum nunc eorum catalogum referre , sed talia videre legereve cupientem ad Théologiae Scholasticæ Scriptores aliaque Pontificiorum , quibus talia e Scholasticorum doctrinâ adhæsere , de Angelis extantia Scripta liceat ablegare , quorum instar omnium esse potest per celebris ille ac inter Suos , præcipue propter Polemica ipsius Scripta , magni æstimatus Jesuita , MART. BECANUS , Opp. Tom. Post. Opuscul. XIV. quod inscriptum de Officiis Angelor. circa Homines ; cui jungi poterunt , qui Catalogos & Legendas , uti loquuntur , Sanctorum concessere , PETR. de NATALIEBUS & JAC. de VORAGINE in Festo Dedicationis Basiliæ S. Michaelis Archangeli . Legentibus hæc absque superstitione sanè mirari subit , qui , sine omni rationis fundamento , sine ullo Scripturarum divinarum indicio , mortalium ingenia tot opinionum configere portenta , tot doctrinarum monstra parere potuerint . Unicum nunc speciminis loco allegabimus exemplum , quod est de sanctorum Angelorum Ordinibus & coelesti , quam vocant , Hierarchiâ . Quin certi dentur Angelorum ordines , nemō tam insipidæ mentis erit , qui negaverit , siquidem non solum DEUS , Creator eorum , ordinis est amantissimus , cunctaque ordine ordinatèque produxit atque gubernat , sed & ipsa rationalis eorum natura id arguere videtur , cum verisimile non sit , quāpiam substantiarum intelligentium multitudinem ac coetum , turbulentos hominum confluxus & fortitas coitiones si exceperimus , sine conveniente ordine reperiiri . Dum & Scripturæ Codex de Angelis loquens Col. I. 16. eos in Thronos , Dominationes , Principatus , Potestates distinguit , alibique Cherubim & Seraphim nominat , & I. Thessal. IV. 16. Archangeli (quem non ipsum Angelum increatum , Filium DEI , sed creatum esse , B. FECHTIUS noster Lect. in Syll. Controv. Recent. ad Disp. X. §. 4. solidè probat ,) sapientius autem Angelorum simpliciter ita dictorum mentionem facit , ecquis existit distinctionibus , ex diversis illis nominibus titulisque

A 3

non

non certos Angelorum ordines colligeret concluderetve? Quid? quod nec ipsum infernale regnum ordine suo destinatum credendum sit, quandoquidem principis Diabolorum Scriptura meminit, *Matth. IX. 34. XII. 24.* alibique. Quidni ergo in Regno coelesti, cui DEUS, Auctor ille ordinis, immediate praest, & inter coeli incolas ordines admitteremus? At quinam illi, quot, qualesque sint? cum sapientia Numinis infiniti nobis celaverit, quis eorummet in se descriptionem suscipere ausit? Nihilominus surrexere, qui certas in classes Angelos distribuere, ac ordines eorum describere aggressi, haec sua cogitata credulitati aliorum persuadere non dubitarunt. Judæorum, Gentis hodie & ab antiquo fabulis redditissimæ ac insulſis opinionibus propemodum obrutæ, quæ hic somnia sint, EISENMENGERUS, in dem entdeckten *Zusammenhang, Part. II. Cap. VII. p. 374.* refert, quæ verbis ipsius enarrare liceat. Sic autem ajunt: Gleichwie zehn Sephiroth (oder Glänze) seynd, also seynd auch zehn Schaaren (oder Gattungen) der Engel, und seynd dieselbige diese nachfolgende: Die Erellim, (d. i. die Mächtigen,) die Ischim, (d. i. die Männer,) die Bené haelohim, (d. i. die Kinder Gottes,) die Malachim, (d. i. die Engel,) die Chaschmalim, (d. i. die Glühende Kohlen,) die Tarschischim, die Schinanim, die Cherubim, die Ofannim, und die Seraphim: und seynd diejenige zehn Engel, welche am ersten seynd erschaffen worden, über solche zehn Heere gesetzt, welche (zehn Engel) also heißen. Der Michaël (ist gesetzt) über die Erellim, der Zephanja über die Ischim, der Chofniel über die Bené haelohim, der Usiel über die Malachim, der Chaschmal über die Chaschmalim, der Tarschisch über die Tarschischim, der Zadkiel über die Schinanim, der Cherub über die Cherubim, der Raphaël über die Ofannim, und der Jehuel über die Seraphim. Sic quidem illi: sed ubinam fundatum imaginariæ hujus sapientiæ quærendum, aut undenam probatio fidem hujusmodi assertis conciliatura petenda erit? At nolumus de istis plura, quibus cum Scholasticis, quos supra diximus, eorundemque vestigia prementibus Pontificiis Scripto-

Scriptoribus cumprimis agendum. Quorum vero placita  
 haud melius exprimere poterimus, quam si ex allegato su-  
 periore JAC. de VORAGINE, Catal. Sanctorum, quem & Aurea Le-  
 genda, item Longobardica Historia, atque Passionalis Sanctorum ti-  
 tulus inscriptum, constat, & quidem loc. cit. eadem hic trans-  
 scribamus. Quanquam enim in nonnullis ab eo alii abire re-  
 periantur; istum tamen plerique sequuntur, quem igitur ut  
 communi horum Doctorem audire placet. Scilicet, quia  
 Festum seu sacra solennitas Michaëlis Archangeli, prater alia,  
 quibus insignitur, nomina, etiam Apparitio vocatur, hujus de-  
 nominationis occasione talem nobis depingit Angelorum Hie-  
 rarchiam. *Quarta*, scribit, apparitio est, que consistit in hierarchiis  
 ipsorum Angelorum. Nam prima hierarchia dicitur Epiphania, i. e.  
 superior apparitio. Media dicitur Hyperphania, i. e. media appari-  
 tio. Ultima dicitur hypophania, i. e. inferior apparitio. Et dicitur  
 hierarchia a hierar., quod est sanctus; & archos, princeps, quasi sa-  
 cer principatus. Qualibet autem hierarchia continet tres ordines. Nam  
 superior continet Seraphim, Cherubim, & Thronos; Media continet, se-  
 cundum assignationem Dionysii, Dominationes, Virtutes, & Potestates;  
 Ultima continet, secundum assignationem ejusdem, Principatus, Archan-  
 gelos & Angelos. Et horum ordinatio & dispositio potest videri per si-  
 mile in terrenis potestatibus. Nam Ministrorum, qui sunt sub uno Re-  
 ge, quidam operantur immediate circa personam Regis: Sic Cubicularis,  
 Consiliarii & Assessores. Similes his sunt ordines prima hierarchie.  
 Quidam vero habent officia ad regimen regni in communi, non deputato  
 huic vel illi provincia, ut Principes militiae & Judices curiae. Similes  
 his sunt ordines secunda hierarchie. Quidam vero praeponuntur ad re-  
 gimen alicuius partis Regni, ut Prepositi, & Balivi, & bujusmodi mino-  
 res Officiales. Et his similes sunt ordines tertia hierarchie. Quibus  
 subditum: Tres igitur ordines prima hierarchie accipiuntur, in qua-  
 tum DEO assistunt, & ad ipsum convertuntur. Ad hoc tamen tria ne-  
 cessaria sunt: scilicet summa dilectio, & hoc quantum ad ordinem Se-  
 raphin, qui interpretantur ardentes. Perfecta cognitio, & hoc quan-  
 tum ad Cherubin, qui interpretantur plenitudo scientie. Perpetua  
 comprehensio sive fruitio, & hoc quantum ad Thronos, qui interpretan-

700

zur sedes: quia in eis sedet Deus & quiescit, dum eos in se quiescere  
 facit. Tres autem ordines media hierarchia accipiuntur, in quantum  
 habent praesesse & regere universitatem hominum in communi. Hoc au-  
 tem regimen consistit in tribus: Primo in presidendo sive imperando,  
 & hoc pertinet ad ordinem Dominationum; ad quem spectat aliis in-  
 ferioribus praesesse & eos in omnibus ministeriis diuinis dirigere, ac eis  
 omnia imperare, quod innuitus Zacharia V. ubi unus angelus alteri di-  
 xit: Curre & loquere ad puerum istum, dicens &c. Secundo impe-  
 rando, & hoc pertinet ad ordinem Virtutum, quibus non est impossibile  
 exequi, quod imperatur, quia eis datum est posse super omnia difficultas  
 ad Dominum & ministerium pertinentia: & idem attribuitur eis mi-  
 racula facere. Tertio in arcendo, ut scilicet impeditientia & festinantia  
 (vel, ut alia editio de Anno 1503. procul dubio rectius legit:  
 infestantia) arceantur, & hoc pertinet ad ordinem Potestatum, qui  
 habent coercere contrarias potestates, quod signatum est Thobiae VIII. ubi  
 dicitur, quod Raphael religavit demonium in deserto superiori Aegypti.  
 Tres vero ordines ultima hierarchia accipiuntur, secundum quod habent  
 Regimen determinatum & limitatum. Quidam enim eorum presunt  
 uni provincia; bi sunt de ordine Principatus, sicut erat princeps Persa-  
 rum, qui praeerat Persis, de quo habetur Danielis X. Quidam vero de-  
 putati sunt ad regimen multitudinis, utpote unius civitatis, & bi di-  
 cuntur Archangeli. Quidam vero ad regimen persone singularis, &  
 bi dicuntur Angeli. Unde & dicuntur minima nunciare, ex eo quod  
 eorum ministerium ad unum hominem limitatur. Archangeli vero di-  
 cuntur majora nunciare, quia bonum unius multitudinis dignius est,  
 quam bonum unius hominis. Haec illa hominum de sanctorum  
 Angelorum Ordinibus ac abinde dependente ministerio sive  
 cogitata sunt sive somnia, quorum nec ipsi fundamentum aliquod solidum habent, nec aliis eam quarentibus ullam dare  
 solidam rationem possunt. Quod si vero proleta singula discutere  
 vel animus esset, vel chartæ spatium permitteret, certè non  
 pauca in iis animadversione digna invenirentur, quæ tamen,  
 quoniam scopum nostrum haud attingunt, consultò prater-  
 mittimus, id unicè postulantes, ut vel unicam nobis, aut ex  
 naturæ lumine, aut ex Scripturæ revelata Codice, nam aliud  
 hac

hac in re cognoscendi principium admittere nequimus, hujus  
 Angelorum in ordines distributionis vero duntaxat similem  
 afferant probationem. Quandoquidem enim haud aliter hæc  
 omnia describunt, ac si primæ coelestium istorum spirituum  
 interfuerint creationi, vel in consilium adhibiti, ut curiam  
 coelestem accurate ordinatèque pro insipidâ suâ sapientia &  
 ex arbitrio disposerent: quis vitio nobis vertet, si horum, san-  
 ctis Scripturis ignotorum, antequam fidei credulitative no-  
 stræ persuadeantur, rationes postulaverimus? Largimur equi-  
 dem, diversis illis, queis Angelos appellari novimus, Domina-  
 tionum, Virtutum, Potestatum nominibus, diversa eorundem,  
 quibus in Ecclesiæ humanaque generis regimine DEus utitur,  
 ministeria designari, quin & haud dubiè diversæ dignitatis eo-  
 rum indicia sint: verum, quis sine insigni temeritate sua fin-  
 gulis adscribere munia, quis eorum subordinationem introdu-  
 cere, vel istum superiorem, hunc inferiorem Ordinem consti-  
 tuere aut pronunciare audebit? Provocant ad DIONYSIUM  
 quandam, quem Areopagitam dicunt, eum videlicet, quem  
 Paulus Act. XVII. 24. Athenis Evangelii prædicatione con-  
 vertisse legitur, Scriptorem adeò Seculi I. & Virum Apo-  
 stolicum, qui Lib. de Coelesti Hierarchia hujusmodi descri-  
 pserit Angelorum classes & in ordines gradusque disposi-  
 tionem. Sed posito, Dionysium istum libri hujus existisse  
 Auctorem, à quonam ille hanc haufisse doctrinam dicen-  
 dus erit? Apposite RIVETUS, percelebris inter Reforma-  
 tores Theologus, Cathol. Orthod. Tract. II. Quest. 46. Hic Dio-  
 nysius, inquit, S. Paulo confidentior fuit, qui licet in coelum raptus  
 fuerit, rebus tamen auditis ac visis curiositatem nostram pascere no-  
 luit: dicit etiam, se audisse verba ineffabilia, quæ non liceat  
 homini loqui. Si tamen huic Dionysio fidem adhibeamus, qui nec  
 à terrâ quoad corpus elevatus, nec Propheta nec Apostolus fuit, nihil  
 in coela tam fuit absconditum, quod ille oculis non penetraverit. Ve-  
 rum, quisquis fuerit Coelestis istius Hierarchiæ Auctor, non  
 ille Senator Atheniensium, quem obtendunt illi, sed plura

post secula vivens aliquis fuit, velut argumentis quam multis sine negotio multo demonstrari posset, ni demonstratum jam esset ab aliis compluribus. Vid. JOH. GERHARDI *Patrol. Sec. I. p. 13. sqv.* ROB. COCI *Censura quorundam Scriptor: qua sub nominibus Sanctor. & veter. Auctor. à Pontificiis ci-tari solent, Sec. I. Edit. Helmestad. p. 91. sqv.* atque cum primis paulo ante citatus RIVETUS, qui *Lib. I. Critic. Sacr. tria integra capita, IX. X. & XI. impendit*, quibus contra Pontificios, dicti Dionysii Areopagitæ, qui sub illius nomine circumferuntur, libros esse, propugnantes, evincit, falso eosdem illi tribui, atque recentioris cujusdam Scriptoris esse, Areopagitæ fraudulenter suppositos: quapropter & Auctorem istum ab aliis vix aliter, quam Pseudo-Dionysii nomine, offendimus allegatum. Ut ut verò sit de isthoc Dionysio, sufficit, nec Pontificios, nec quenquam alium Angelorum in classes distribuendi ac in ordines redigendi ullum, vel in Ratione vel Scripturâ, certum ac idoneum fundamen-tum habere. Quapropter concludendum, sapientissimum Numen hæc talia, tanquam quæ ad salutem obtinendam scire haud oporteat, siquidem tota de Angelis doctrina nullam cum Articulo de Christo, ceu causa salutis nostræ me-ritoria, connexionem habet, in hac vitâ nobis ignorata & experientia futuræ, in beato demum cum sanctis Angelis consortio, reservata voluisse. In hac igitur divina voluntate nos acquiescere decet, Taubmannianum illud nostrum facientes:

*Quicquid non docuit patrii sapientia Coeli,  
Æquo animo nescire homines, inscitia docta est.*

Ignoremus igitur, quorum scientiam nobis denegatam voluit infinita sapientia DEI, nec eò nostram extendi patiamur curiositatem, ut sapientiam, ultra divinam revelationem, vel anhelemus unquam, vel affectemus. Legantur RE-CHENBERGII de *Male sana in Theologia Curiositate*, & SONN-TAGII,

TAGII , sub Præsidio Velthemiano inaugraliter habita , de  
*Ignorantia Theologor. Laudabili* , Dissertationes , quæ suos intem-  
pestivæ ac inopportunæ sciendi cupiditati limites figunt ,  
intra quos sub sistendum . Nihilominus , etiam si , qui  
sint , quot ac quales Angelorum Ordines , nos fugiat ; eos-  
dem tamen omnes , novimus , spiritus ministratorios esse ,  
emissos in ministerium propter eos , qui hæreditatū sunt fa-  
lutem æternam , *Ebr. I. 14.* Horum igitur in numero cum  
& nos per Christum esse confidimus , CIVES ACADEMICI  
O. O. HONORATISSIMI ! adeoque de protectione Angelo-  
rum curâque certi possumus esse , fas est , ut isthanc erga  
nos DEI gratiam grata non solum agnoscamus mente , sed &  
gratitudinem nostram tam verbis , quam factis declaremus .  
Nulla etenim DEO gratar vel accepta magis est gratitudo ,  
quam vita sanctorum studium , secundum ejus voluntatem at-  
que mandata institutum , *I. Sam. XV. 22.* Operam itaque  
demus , o MEI ! studiosè caventes , ut ne sanctorum Ange-  
lorum custodiâ nosmet indignos faciamus , DEUM offenden-  
do , qui nobis eorum substrahat ministerium . Sanctorum  
ergo Angelorum in conspectu sanctè vivamus , sanctitatem  
æterni Numinis cunctis in actionibus nostris & reverentes , &  
imitantes . Quod sicut quolibet in loco fieri debet ; ita cum-  
primis in templis , publico divini cultus exercitio dicatis adi-  
ficiis , ut fiat , quod superiori Pentecostes Festo promulgatum ,  
id , ex Concluso Rev. Concilii , non ob nullas causas , verbotenus  
heic repetitum & infertum volumus . Interdictum hujus tenoris :  
*Quisquis Studioorum in posterum in aede sacrâ , quacunque*  
*fuerit , durante publico divini Numinis cultu , obambula-*  
*re , aut extra Concionis horam , præsertim inter preces ,*  
*cantica , sacrae Dominicæ Coenæ administrationem , aut*  
*cum sacerdotalem benedictionem Verbi Minister populo*  
*impertitur , capite tecto conspectus fuerit , eum sine mora*  
*ad biennii spatium ; ex hac nostra Societate Literaria*  
*exclusum ,*

exclusum , sineque ulla redemtionis, aut intra terminum istum receptionis spe, publice relegatum iri. Præterea cum Angeli stellis comparentur, filiique lucis sint: Cavete, quæso, ne principis tenebrarum potius, quam filiorum lucis, imitatores videamini , nocturno tempore , quod quieti diurnis laboribus fessorum corporis membrorum dandum , inquietatores, ut Tertulliano vocabulo utar, reperti, per plateas passim discursitando , clamoribus inconditis æra repletos, & homines innocuos dicteris verbisque injuriosis , vel sine specie justæ cujuspiam causæ , impetentes. Qualia facta, sciatis, quotquot iisdem delectamini, non humanam duntaxat poenam mereri , & certo certius incursura esse, sed DEO quoque ut quam maximè displicere , ac sanctorum circa nos Angelorum secum ferre læsionem, eosdemque a nobis abigere. Horum igitur custodiâ si, ex gratia DEI , gaudere fruique etiam in posterum cupitis, abstineatis, oportet, ab omnibus , quæcumque sanctitatem eorum offendere possunt. Quod ut prompti faciatis, singulis diebus memineritis effati

Davidici, *Psalm. XXXIV. 8: Castra metatur Angelus Jehovah*

NB. circa timentes ipsum, & liberat eos.

Valete!

P. P. sub Sigillo Rector: Academ.

Anno MDCCXXXI.







TAGII , sub Præsidio Velthemiano inaugraliter Ignorantia Theologor . Laudabili , Dissertationes , quæ pestivæ ac inopportunæ sciendi cupiditati limi intra quos sub sistendum . Nihilo minus , et sint , quot ac quales Angelorum Ordines , nos fudem tamen omnes , novimus , spiritus ministra emissos in ministerium propter eos , qui hæreditat lutem æternam , Ebr . I . 14 . Horum igitur in n & nos per Christum esse confidimus , CIVES AC O . O . HONORATISSIMI ! adeoque de protectione curâque certi possumus esse , fas est , ut si nos DEI gratiam grata non solum agnoscamus magnitudinem nostram tam verbis , quam factis . Nulla etenim DEO gratior vel accepta magis est quam vita sanctæ studium , secundum ejus voluntate mandata institutum , I . Sam . XV . 22 . Operemus , o MEI ! studiosè carentes , ut ne sanctorum custodiâ nosmet indignos faciamus , DEUM do , qui nobis eorum subtrahat ministerium . ergo Angelorum in conspectu sanctè vivamus , eterni Numinis cunctis in actionibus nostris & remitentes . Quod sicut quolibet in loco fieri debet primis in templis , publico divini cultus exercitio officiis , ut fiat , quod superiori Pentecostes Festo prout id , ex Concluso Rev . Concilii , non ob nullas causas , heic repetitum & insertum volumus . Interdictum huius Quisquis Studioorum in posterum in æde sacrâ , fuerit , durante publico divini Numinis cultu , re , aut extra Concionis horam , præsertim intonantica , sacrae Dominice Coenæ administrationem cum sacerdotalem benedictionem Verbi Minister impertitur , capite tecto conspectus fuerit , eum ad biennii spatum ; ex hac nostra Societate




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 0111

the scale towards document